

Cognoverat Ferdinandus
illos se numquam delecturos
esse, neque eum huius
paenitebat. Quare ad quercum
corticeam istam amabilem
profectus, illic subsedit.






Quo in loco tamen subsideret
non animadvertit: nam non in
gramine dulci umbrosoque
consedit, sed in ape
bombitante.







Tu si apis bombitans esses et
taurus in te sederet, quid,
quaeso, factura esses? Nempe
istum pungeres. Quod
profecto fecit apis illa.



Vah! Quam dolorem! In
altum exsiluit Ferdinandus,
vehementer sufflans.

Circumcurrebat, anhelabat,
efflabat, capite minitabatur,
solum pedibus pulsabat, sicut
demens.






Quae cum viderent quinque
homines illi, laetabantur
conclamaveruntque. Ecce
taurus omnium taurorum
maximus ferocissimusque, et
ad pugnandum aptissimus!



Carro igitur eum abvexerunt
in tauromachiae diem.

MAI





Quam festa erat dies illa!
Vexilla aurae ventilabant,
tubae cornuaque canebant...





et mulieres omnes
pulcherrimae crines floribus
adornaverant.



NAN
O TO



GALLERIA

FERDINANDO

FERDINANDO

NANDO
O TORO

R

Pompam in arenam duxerunt.


Primo inceserunt pedites qui
Banderilleri appellantur,
stimulos gerentes longos
acutosque taeniis redimitos
quibus taurum pungerent
atque exacerbarent.





Deinde invecti sunt equites
qui Picadores appellantur,
equis ieiunis, hastas
praelongas gerentes quibus
taurum pungerent et maiore
etiam impetu exacerbarent.






Ultimus incessit pugnator
ipse, qui Matador appellatur,
omnium superbissimus. Sibi
videbatur bellissimus esse, et
mulieribus se inclinabat. Pallio
rubro indutus, gladium
gerebat, quo taurum ultimus
pungeret.





Postea incessit taurus. Scisne
quis fuerit taurus iste?

—IPSE FERDINANDUS.




Ei nomen Ferdinandum
Ferozem indiderunt.
Timebant eum Banderilleri
omnes, timebant Picadores,
et ipse Matador timore
rigebat.






Ad mediam arenam cucurrit
Ferdinandus. Conclamabant
omnes plaudebantque,
expectantes Ferdinandum
acriter pugnaturum esse et
caput iactaturum et cum
strepitu sufflaturum et
cornibus minaturum.



111111
111111


Ferdinando aliter visum. In
mediam arenam progressus,
floribus in mulierum
pulcherrimarum crinibus visis,
sedebat curis solutus et
florum odoribus se delectabat.



Nulla modo volebat pugnare
vel ferocem se praebere,
neque ullo modo poterant
eum cogere. Sedebat tantum
et odoribus se delectabat.

Irascebantur Banderilleri,
magis irascebantur Picadores,
et tantopere irascebatur


Matador ut lacrimaret quod
nequisset se ostentare pallio
indutum gerentemque
gladium.



Necessitati ergo obsecuti,
domum Ferdinandum
reportaverunt.



THE BIRD
7/19/41



RL

Quoad mihi notum est, adhuc
tranquille sedet Ferdinandus
sub querco illa corticea
dilectissima, flores olfaciens.



Beatissimus est.

FINIS

